



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.DC.XXXI. Sancti Patris Benedicti. M.C.LI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

Encomium
omni ma-
jus excep-
tione.

Gregorium illum Magnum, qui sanctus laboravit pro Sancto, dum BENEDICTI Sanctissimi Sui Patris scripsit vitam, non laborasse Doctorem pro Doctore, Magistri sui precepta denodantem. Miror hæc Commentaria præterisse Leandrum, Hldefonsum, Bedam, Anselmum, Cassiodorum, Rhabanum, & tot Doctorum turmas, qui sub sancta Regula militantes, nihil quod facerent, ex ea præterierunt; cur non quod docerent, cum Magni vocati sint in Regno calorum? Sed ut hi omnes, imo & exteri Patres, quin & Oecumenica Concilia, & sacri Canones ad Regulam ipsam appexisse videantur, non immerito ad Antonium nostrum sese ipsos suspicor reservasse, ut sub una apparerent mente, & sub uno pectore clausi: Commentaria hæc novissima, exquisierunt omnium Antiquorum sapientiam, & inventam tradunt, &c. Exrant omnia ipsius scripta Theologica, paulo post, quod speramus, summo rei literariæ & scholasticæ Theologiæ bono, typis orbi communicanda, quem haud immerito non nemo, summi nominis Theologus, licet diversi omnino Ordinis, Theologorum Hispaniæ Primatem & Principem appellavit. Neque talentum illud ipse abscondit, verum summo Hispaniæ ornameto, atque utilitate, ex celeberrimis Cathedralis, miro omnium applausu, Univerfo exposuit. *Ex Comment. ejusdem in Reg. S. P. N.*

Ejus ingenij
momien-
ta ad atem-
nitatem
singularia.

Contendunt aliqui hoc anno Hispanijs ereptum eundem Antonium, coelis insertum, magnum revera Pontificem, etiam juratæ semel paupertatis tenacissimum, & in extrema paupertate mortuum, non in Cathedrali Ecclesia, sed in domo suæ Professionis sepeliri eligentem. Fuit Verbi Divini Prædicator verè mirificus, potens verbo & opere, cum jam Archiepiscopus, suo more è Cathedra peroraret, tanta cum reverentia ab omnibus certatim confluentibus auditus, ut nec excreare quisquam præsumeret, omniaque singuli ejus verba tanquam Angelico prolata ore inhiante exciperent, & cordi profundè imprimerent. Habèoque ex oculatorum sincerissimorumque testium fidè & asseveratione, tantum Archipræsulem, vultu & gestu omni omnem sanctitatem præterentem, ac sola fere cute & ossibus constantem, ubi primum Cathedralam

conscendisset, & in oculis omnium esset, etiam antequam verbum aliquod protulisset, tantos animorum concitasse motus, ut plerique compungi vehementissimè se sentirent, & in uberes lachrymas, alta suspiria & gemitus erumperent, ut hinc facile omineris, quantum deinceps ipso decursu orationis, vir illuminatissimus, zelosissimus & sanctissimus profecerit, in omni planè vita admirandus, cujus vita & facta integrum tomum mererentur. *Gasp. Scioppio, Stephanus v. v. Soc. JESU, ejus multis annis disc. & pl.*

Ipso hoc etiam anno ob insignia vitæ merita, è Cænobio S. Stephani ad ripam Silenlis fluvij in Regno Gallici extrahitur ad Episcopales Cathedralam & infulus Illustrissimus Dominus F. Christophorus de Aresti, quem tamen alij nunc Episcopali simul onere & vita functum contendunt.

Christo-
phorus de
Aresti Epi-
scopus.

IESUCHRISTI ANNUS. MDC. XXXI.
Sancti Patris Benedicti. M. C. LI.

NON minus quam in disciplinæ primavæ restitutione, in literarij quoque studij promotione passim tota Europa laboratur, ita quidem, ut quod Joannes Scorus, Alcuinus Neotus, Lanfrancus, Rhabanus, alijque olim nostri, Doctissimi æquè ac Sanctissimi diversissimis in Regnis in se suscipere, ut Scholas instituerent, totasque provincias ad Liberalium artium studia pellicerent, sed & juxta Virtutis omnisque honestatis amorem discipulis instillarent, idem ipsum nostri etiam hodie, non minore industria facerent, quin & Majores nostros, eadem quidem moliendo, sed majora attentando, longè etiam superarent, cum vix hodie unum celebrioris nominis Monasterium reperitur, in quo non præter Humaniores literas etiam Philoſoplica & Theologica studia summo in flore & vigore sint, & ex ipso gremio, lectissimæ notæ Professores alij alijs succedant, & quotidie alij & alij in eosdem labores & honores, incredibili cum excitatione animorum & ingeniorum, adoleſcant. Neque hoc solum in superiore Germania, sed & inferiore sive Belgio, de quo in suis ad nos hoc ipso anno 1631. die 12. Febr. datis Aubertus Miræus, celebri nomine scriptor, postquam & ipse nostro-

Litterarum
studia à
nostris pro-
moventur.

Florentissi-
ma hodie
in ipsis Mo-
nasterijs
studia.

rum in superiore Germania studia commendasset; sic ait: *Et vero in nostra Germania Inferiore non jacent. In Flandria nominatim Gerardimontenses Benedictini, exemplo Patrum Societatis JESU Scholas literarias juventuti, undique confluenti, annis superioribus aperuerunt: Duaci Philosophiam publice docent, in Collegio seu Gymnasio Vedastino, quod nostra memoria Cavarellus Abbas Vedastinus à fundamentis exstruxit. Alibi, n. e. uno loco, Theologiam explicant: ut meo quidem judicio, vel reddita juventute, familia Benedictina hodie reviviscere videatur* (Ecce B E N E D I C T I Redivivi solidam imaginem) *Quid in Hispania, Gallia, & Italia, & aliis Sodales vestri agant, in Originibus nostris Monasticis, Colonia editis, explicavi, nec hoc loco repeto. Ita Miravi.*

Nec Germaniæ solum Superæ Inferæque hæc gloria est, sed multo major Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, &c. longè plures & præstantiores Doctores & Professores Academijs atque Universitatibus largientium, quando non uno jam loco, neque in ijs solum, quæ propter nostros, vel per nostros conditæ sunt, Universitatibus sive Academijs nostri publicè litteras variasque disciplinas eruditissimè profitentur, verum communi Republicæ Christianæ bono, Collegia ejusmodi, Gymnasia, atque Universitates, sive ipsi excitant, sive in Gratiam Monachorum fundatas, summa auctoritate soli obtinent, ac moderantur. Præter enim ea, quæ supra commemoravimus vel commemorare debuissimus; nova Universitas Rhintelensis, sub hæc tempora, æterno nostrorum, merito gloriæque excitata, fructum ingentem, & antiquo illi [quem abundè degustavit Majorum ætas, & nunquam satis miratur fera posteritas] haud impari Ecclesiæ DEI, ex Monachorum laboribus & eruditione, uti & non ita pridem instituta Salisburgensis Academia, pollicetur.

Invalescit sanctitatis mirandæ fama & gloriâ Congregatio nostra Calvariensis tantopere in Regno Galliarum, ut maximas etiam Principes raperet, & quæ semel contuitæ Angelicum hoc vitæ genus essent, omnibus statim mundi illecebris renunciare cuperent, ut tam sancti Instituti Virgi-

nibus convivere possent. Nupserat Marchioni des Planches Domina Elisabetha Du Puis du Fou, Illustissimi Domini De Comeronda filia unica, quæ cum in Calvaria Conventu Nannensi Professioni cujusdam Virginis aliquando interfuisset, vehementer dolore cepit implicatissimæ vitæ statum in quo versabatur, totaque desiderio Monasticæ vitæ incalescere, sed motum hunc importunum tentationem esse rata, statuit omnibus Misericordiæ operibus sedulo incumbere, ut propterea altera Thabita ab omnibus haberetur. Interim cessit è vita insperatò maritus amantissimus, ipsa vero viginti tres tantum annos nata ac sine liberis, consulente potissimum Venerabili Patre Petro ab Alenconio Capucino Calvariensis Instituti amantissimo (qui Martyr postea gloriosus occubuit) discernit, renitentibus omnibus & adversantibus, animo hærens tenacius Religionis Votum persequi. Credi vix potest, quot Generosæ menti obviantia impedimenta superare necessarium fuerit. Nobilis quidam autoritate Principis fretus a dibus Elisabethæ euntium Equitibus circumdatis, vi omni adhibita, imbellem viduam rapere, ut primogenito suo nuberet, constituit: verum monita divinitus, ab ignoto viro, domo jam aufugerat, mutatis cum rustica muliere vestibus, per in via atque avia, insidias declinans. Verum pertinax in proposito Nobilis, eam, quacumque industria atque arte inquirens, ut vix alicubi quiescere vel momento posset, Deo tamen protegente, nihil effecit, cum Elisabetha omnibus elusis insidijs Andegavum evasisset. Sed neque hic finis periculorum & invidiarum, cum & formæ miræ elegantia, & opum affluentia, nec non nominis ac familiæ claritate, incomparabilis insuper, prudentiæ laude, capti plurimi, omnibus eandem illicijs atque artibus exambirent. Delusit insigni stratagemate amantes Marchionissa, cumque ex more gentis frequentes adessent ipsam ad templam comitaturi, ipsa currum ad Monasterium Calvariæ flecti jubens, quasi paucis superiorem loci allocutura, illos interea ad templum præmisit. Successit feliciter res, piæque detegens fraudem Elisabethæ, & cucullum exambiens, mox

intro-

Gerardi-
montensi-
um cona-
tu.

Non minus
in Gallijs,
Hispania
& Italia.

Universi-
tas Rhin-
telensis.

Salisbur-
gensis.

Congrega-
tionis Cal-
varia felici-
ter successus.

Elisabetha
de Puis.

Ejus vita
Monachice
desiderium.

Impedi-
menta va-
ria patitur.

Emergit in
portum Re-
ligionis.

intromissa, plena gaudij, coram Venerabili altaris prostrata sacramento, in uberrimas totam se effudit gratiarum actiones, duabus ita horis insumptis, monitaque rivales ad portam praestolari, ad cratem occurrens, omnibus propositum detexit, valedicensque supremum, invitos atque attonitos domum quemque suam repetere coegit.

Mater ipsam extrahere conatur.

Interea Elisabetha molle fractumque, superioris vitae genus averfata, dum jejunijs, Vigilijs, humilitate, Obedientia, Orationi, sacrificijs alijs exercitijs tota intendit, re comperta Mater ejusdem magnis itineribus Andegavum contendit, quo volentem nolentemque charissimam filiam Caenobio extraheret, & à Monte Calvariae tanti rigoris Instituto deturbaret. Obstitit invicto animo, illecebris, dolis, precibus, minis molesta & importunae parentis pijsissima filia, ut proinde moerore vehementissimo graviter percira Mater paulo post vita excederet. Doluit miserandam necem ejusdem, ut debuit ac decuit Elisabeth: *Sed DEO*, inquit, *prae matre amantissima obsequendum fuit*, cui & Matris animum pie commendavit.

Diaboli contra eam conatus.

Nihil non movit & tentavit Caco-dæmon, ut tantam Heroïnâ proposita averteret, Domesticis ejusdem inter se concitatis, cui malo cum aliud non inveniretur remedium, invita obnixaque, necdum Ordinem solemniter professâ, jubetur Patulos abire, ut domesticas bonorum tricas dissolveret. Nil tamen domi retinere amantissimam Numinis potuit, cujus favente gratia, lites omnes composuit, cognatos inter se conciliavit, acceptisque in dotem quinquaginta aureorum pro Monasterio Calvariae millibus, hilaris reversa, id unum gratiae pro tanta auri summa expetit atque extorsit, ne hujus, vel Generis intuitu delicatius haberetur, fide à Superioribus data, nunquam sese quibuscunque Religionis rigore seu oneribus eximendam. Inde Sanctissimam Regulam complexa & solemniter professâ, tanta animi consolatione & voluptate, ut nemo non in summam raperetur admirationem. Amplexa non minori alacritate rigorem omnem, atque professâ, vilissimis quibuscunque & difficillimis perfuncta munijs & laboribus, incredibili de-

Proficitur solemniter Ordinem.

missionis exemplo tantopere omnes rapuit, ut communi omnium Voto & inexplicabili plausu Superior eligeretur, summo totius Congregationis comodo, etsi ipsa inconsolabiliter doleret, & abjectissima omnium esse eligeretur.

Eligitur Superior Congregationis.

Nec mores mutavit honor, cum tanta sui dejectione ipsa alijs praeslet, ut solâ majoris humilitatis, modestiae, verecundiae notâ, re & nomine Prior omnibus dignosceretur. Denique post multos & strenuos in omni vitae rigore labores, levissimâ tentata febris, morbum lethalem esse praecognoscens, etsi adversantibus alijs, sacrum poposcit Viaticum, & accepit. Adfuit morienti nobilis Ecclesiastes, qui audita ejus Confessione Generali, cum paulo post felicissimè extinctâ, parentare veller, jubereurque Psalmum *De Profundis*, &c. ex more recitare, mallem, inquit, Psalmum *Laudate Dominum omnes gentes* dicere, quippe, quam lugetis amantissimam Matrem *Sanctam* esse, & inter Coelites praecelsam, utpote Angelicâ innocentiae, ac Seraphici amoris æmulam, certissimè testor, de quo ipso nemo ambigere potuit, cum, in omni exercitio Virtutum, incomparabilis haberetur. *R. P. Amandus Tribut* ex *fideli relatione testium oculatorum*.

Mors felicissima.

Memorandum & aliud Calvariensis Congregationis decus, hoc ipso anno ablatum terris, coelis illatum. Fuit haec Margarita Marlin à S. BENEDICTO cognominata, Monialis Congregationis praedictae in Monasterio Morlaecensi, cujus id erat cum DEO mirabile commercium, ut rapta semper spiritu videretur, folius quasi orationis nutrimento vivens, quod tamen nihil Regulari observantia, nihil omnibus Religionis munijs, pro exigentia rei obsequendis, obsuit, imo plurimum juvit & promovit. Decessit prima Novembris festo omnium Sanctorum, eorum choris socianda anno 1631. atque in coelum assumptam esse sanctae memoriae Anna de Goulaine, quae tum Parisijs degebat, revelante DEO cognovit. *Ex isdem*.

Ven. Margarita Marlin.

Tota extatica.

Sed & Germania nostra haud levi splendore gemmam Hierusalem inferendam caelesti structurae submittit, Jdam de Vörden Transaquensis Caenobij Abbatissam. Haec non tam Generis, quam morum & animi praedi-

Ven. Ida de Vörden Abbat. Transaquensis.

ta

na Nobilitate, prudentia juxta admirabili, & singulari excelluit Magnanimitate, cujus regiminis anno decimo, summo cum ejusdem animi gaudio, ultima & perfectissima in Monasterium Reformatio introducta fuit, ipsa imprimis promovente & connitente, omnesque, Reformationi se accommodantes & conformantes, magno charitatis affectu & humanitate complectente & amplexante. Quæ alia inter Benedictinæ Regulæ, singularem prorsus, & Conservatricem totius disciplinae omnisque sanctitatis, Silentij Regularis attendens utilitatem & fructum, incredibile studio sollicitè præcavit, ne horis & locis incompetentibus, ulli unquam causa daretur, tam sancti, tamque proficui quieti Monasticæ præcepti violandi, quod singulare totius Ordinis & disciplinae Benedictinæ fulcrum, & quietis in Monasterijs ac pacis solidæ pignus esset, & neglectum, irregularis vitæ, infinitarumque turbarum, certissimum signum haberetur. Fuit ipsa admirabile suis omnibus Virtutis speculum, profuitque non minus suis quam præfuit, annis 24. hoc anno pridie Assumptionis Beatissimæ Matris Virginis, ad concelebranda ejusdem in cœlis solemnia anno 1631. evocata. *Ex monumentis ejusdem Cænobij.*

*Sanctæ in
Domino
requiescit.*

*IESU CHRISTI ANNIS. M. DC. XXXII.
Sancti Patris Benedicti. M. C. LII.*

Frigidissima etiam Polonia, frigidissima ætate nostrâ Benedictini fervoris flammis, splendoris radios longè latèque spargit, & insigne hoc ipso anno, vigesima quarta Februarij sydus cœlis destinat. Hoc ex Culmensi Nobili Virginum Cænobio prodijt, fuitque sanctæ memoriae Magdalena, Culmensis Abbatissa. Illustri admodum familiâ parentes habuit, Mortescâ scilicet, veteri admodum & inprimis conspicuâ, ipsa Illustrior Virtute quam genere, ut quæ veram animi Nobilitatè à teneris unguiculis studuerit comparare. Cænobium præfatum ingressa est, invitis parentibus, ipsædemque multum obnitentibus, Monasticen est professâ. Ob eximia deinceps talenta summæ Virtutis decora ejusdem loci Abbatissa electa, neminem radijs eximie perfectionis perstrinxit; merito

*Ven. Mag-
dalena ab-
bat. Cul-
mensis.*

Culmen Culmensis Cænobij celebrata. Hæc Monasterium non solum summo perditissimo hoc tempore strenuè reformavit, sanctioris vitæ Gymnasium & Palæstram, constituit, sed & quinque alia mira felicitate condidit, quibus lectissimarum Virginum, Nobilem omnino Coloniam induxit. Quin & Apostolico laborans Zelo, ut longè latèque Hæreses profligarentur & Hæretici in viam Veritatis & ad gremium Catholicæ reducerentur Ecclesiæ, Collegium insigne Patrum Societatis Jesu Torunij fundavit, & veteri nostrorum more, omnium Novorum Ordinum Patronos agentium, Patres illos insigniter fovit & promovit: verè ætera & Christi disciplina Magdalena, è Schola Sancti Patris B E N E D I C T I Scholastica, cum insignibus probatissimæ pietatis, dignissimæ Humilitatis, & ferventissimi Zeli exemplis, hocæ sæculum nostrum, in amplissimo Poloniae Regno, haud leviter exornasset, & sacrum Ordinis rigorem latius restituisset, plurimasque ex lectiore Regni Nobilitate Virgines Numini lucrata adduxisset, ad præmia felicitatis æternæ evocata est. *Ex Menologio Polonico, Abr. Bzovio, Crammery.*

*Reforma-
trix sine
macula.*

*Collegium
Patrum
Societatis
fundat.*

In Hispanijs mirâ effulget perfectioris vitæ summæque eruditionis famam Reverendissimus & Illustrissimus Dominus P. F. Maurus de Villaroel, ex Monacho Sancti Salvatoris de Lorenzana in Regno Gallitiæ, ac Congregationis Benedictinæ Generali, deinde Abbate Sancti Vincentij Salmanticensis, primum Episcopus Sacensis, demum Oscensis in Regno Aragoniæ pro meritis electus Episcopus, ubi relinquens manifestæ sanctitatis insignia, usque hodie summo in honore habetur. *Ex Relat. R. P. F. Francisci de Ayer. Mon. S. Turibij.*

*Maurus de
Villa-Roel.*

Memorabili ad omnem æternitatem Charitatis in proximum exemplo Galliarum Regno præluet Cæcilia à Sancto Carolo Cognominata, illustrissimæ prosapiæ (familie tacetur, nomen) Virgo lectissima, sed vitæ spectatior sanctior, ob hanc ipsam dignissimam, quæ pacis post Monasticæ vitæ perfectionem annis, Novitijs præficeretur, non tam pro Magistra, quam exemplari & speculo perfectionis futura. Hæc verè ardentissimo Charitatis

*Ven. Cæci-
lia à S. Ca-
rol.*